

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Ea ego libenter ex vobis rescirem: Quæ enim cum illo egi, non erubescō & coram & scriptis contestari. Visitationis agri nostri incipiet, volente Domino, proxima septimana. Et publicabitur in omnibus oppidis & vicis die Dominico 16. Maji. Eam tibi & fratrum reliquorum, quos in Domino salvere cupio, precibus diligenter commendo. Tu de me suspicaberis finistri nihil: quin de iis, de quibus aliqua suspitio posset interciderere, liberè conferes. Bene & feliciter vale cum publica & privata Ecclesia tua. Ulmæ 13. Maji Anno 1557.

Tua humanit. studiofiss.

Ludovicus Rabus, D.

XLIX.

Reverendi Viri, Patres & Fratres in Christo colendi. Cum ingenti dolore intelleximus, schisma inter nos fieri, nec dubitamus, vos nobiscum esse in magna inæstia propter justissimum hoc Ecclesiæ vulnus. Quod autem dissidia doctrinæ & veritatem anteferri oporteat omnibus doloribus & periculis, in eo prorsus vobiscum consentimus, ac Deum testamur, nos in iis controversiis, quæ proprie ad doctrinam pertinent, non dissentire à vobis. Nam præsentiam Corporis & Sanguinis in Cœna verè credimus. Scimus enim, Filium Dei Omnipotentem & veracem esse, & rejicimus opinionem de absentia corporis Christi in Cœna. Credimus etiam, corpus Christi verè sumi ad iudicium ab iis, qui sine fide manducant. Osiandri dogma de Justificatione toto omninò pectore improbamus, & refutavimus quisque suo loco scripto, aut voce, ac fatemur, nobis displicere periculosas ejus excusationes, quæ à quibusdam quærentur. Hanc phrasin: Bona Opera sunt necessaria ad salutem, judicamus in Ecclesia periculosam & nullo modo defendendam esse. Quam sæpe D. Philippus publicè hic dixit, se nunquam ea esse usum, nec uti velle, nec velle unquam defendere. Econtra Antinomicas opiniones & phrasas vitandas esse arbitramur. Etsi enim non valet consequentia: Ore fit confessio ad salutem, & contritio quæ secundum Deum est, pœnitentiam ad salutem firmam operatur; Ergo docendum est: Bona opera ad salutem esse necessaria. Tamen manifestissimum est, Bona Opera in renatis necessaria esse propter multas causas, quas hic non recitamus. De decretis Concilii Tridentini & Libro Interim nulla potest esse suspitio, cum res ostendat, nos consentientibus animis, omnes & tanta *supponit*, quanta nunquam ante in Colloquiis usurpata est, execrari, & constanter refutare falsa dogmata, errores, Idola, parricidia & Diabolicum cœlibatum AntiChristi. Sola superest controversia de Adia-

pho-
ris,

ris, de qua hoc semper nostrum fuit iudicium, certamen esse non de doctrinâ, sed de Ceremoniis. Quod si vobis non satisfacit, ignosci nobis petimus. Si autem verum est, quod dicitis, depravatam fuisse doctrinam, de pœnitentia & de Justificatione, abjecta Exclufiva: sola fide sumus iusti, & nostras Ecclesias subjiciendas esse Jurisdictioni Pontificiorum Episcoporum, etiam si veræ doctrinæ sint hostes: Profitemur, nos has corruptelas & actiones nequaquam probare aut excusare. Sed toties ipsi nobiscum audivistis, hæc negari ab aliis. Quoties audivimus D. Philippum præceptorem ad severare, se nec autorem nec conscium esse istarum corruptelarum, quas recitavimus, nec unquam approbasse aut subscripsisse *in hisce iudiciis*, quam ait Magdeburgæ corrupte esse editam. Doctrinæ depravationes sibi tribui non vult, & quanquam in multis injuste sit læsus, tamen dicit, se malle accipere plagam patienter, quam deesse concordia, ac scimus eum toto pectore expetere & pacem cum vobis, & ut Ecclesiæ sit tranquillitas.

Hæc cum ita sint, optavimus, vos nobiscum manere & cognitionem controversiæ, si sit necesse, rejici ad frequentiore Synodum, quæ toties promittitur. Vel etiam in hoc nostro congressu quæri compositionem, qua in re multum potuissetis præstare, & nos fideliter negotium adjuvissemus. Noti enim Deo sunt gemitus nostri in hac causa, ac videmus Diabolum mirabiliter alere dissidium, ut majora mala sequantur. Idèd ardentibus votis in maximis doloribus sæpe precamur Filium Dei, ut Satanam reprimat & clementer faciat finem intestini dissidii. Ac testes nobis vos ipsi estis, quanto studio operam nostram interposuimus, quamprimum semina hujus Schismatis hic animadvertimus. Et quod ad Osiandri dogma & ad contentionem de necessitate bonorum operum ad salutem attinet, etiam nunc optamus, hic institui collationem cum Reverendis & Summis Viris, Domino Brentio & Doctore Jacobo, qui non modo eandem Pauli mentem nobiscum retinent, sed quoque admittunt, se nobiscum velle damnare Osiandri opinionem, quamprimum ostendatur, ea extare in Osiandri scriptis, quæ ei tribuuntur. Quæ demonstratio cum sit facillima, speravimus facilem & dulcem fore inter nos consensionem, quâ in re præbuissemus nos vobis fideles *negotiaris*, propter stabiliendam inter nos conjunctionem & propter miseras Ecclesiæ in Borussia. Majore autem cum labore & autoritate Summi Principes & eorum Legati hoc triste schisma avertere conati sunt. Cum enim propter inchoatum cum Pontificiis colloquium non superesset tempus vel oportunitas dijudicandi aut conciliandi dissensiones moras inter nostros, judicarunt Optimi & Sapientissimi Principes, ostendentes, ea in re mœstitiam & sollicitudinem suam, rejiciendam esse hanc actionem ad aliam frequentiore Synodum, de qua scitis Francofordiæ mense Junio factas esse deliberationes. Et Illustrissimus ac laudatissimus Princeps,
Electo

Electo Palatinus, cum rumorem de vestris postulatis accepisset, missis legatis, piè & graviter & sapienter vos & nos omnes hortatus est, ut quia Papistæ pro-
pediem essent inchoaturi Colloquium, omiſſa deliberatione de nostrorum
dissensionibus, essemus conjuncti ad defensionem Confessionis Augustanæ ad-
versus communes hostes, ac promisit se perfecturum, ut omnes Ordines Au-
gustanæ Confessionis quamprimum Synodum inter nostros indicant. Con-
stat & in aliquot controversiis requiri explicationem, in aliquot etiam accusa-
tos audiri oportere, Huic Consilio Principum opposuistis mandata vestro-
rum Principum, & vestram conscientiam, quod Confessiones à vobis editas
etiam coram Pontificiis repetendas esse judicastis.

Accessit insidiosa flagitatio Papistarum, quod flagitarunt condemnari Cal-
vinum, Osiandrum, Illyricum & Gallum, qui Majori contradixerunt, & alias
disputationes movissent. Hæc postulata cum essent contra decretum Imperii
de hoc Colloquio, & insidiosè proponerentur, ad nos disjungendos, & ad
aucupandam occasionem evitandi Colloquii, quæ nobis gravis & periculosa
esset; Decrevimus respondere adversariis, quod responsum fuit Augustæ an-
no 1530. cum Eccius protulisset plurimas *ἀπολογίας* collectas ex scriptis Lutheri,
responderunt nostri, se non adesse, ut Lutherum, sed Augustanam confes-
sionem defendant. Et quia petitio Papistarum pugnaret cum Decreto Imperii,
& nostrorum dissensiones nihil ad ipsos pertinerent, præterquam quod arte
eas fovent, & multis erroribus, & transfugis adplaudunt, speravimus, nos fa-
cile impetraturos, ut adversariis à Præsidente mandaretur, ut intermissis
his injustis insidiis procedant ad Articulos Doctrinæ, in quibus suo loco sen-
tentiam nostram explicaturi essemus.

Hic vos nobis contradixistis, confirmantes, hoc esse tempus confes-
sionis, quæ sit necessaria, & confessionem intellexistis repetitionem vestrarum
Confessionum, quas publicastis, opposuistis & mandata vestrorum Princi-
pum. Sed nos etsi malitiæ Papistarum noluimus obsequi, contra de-
cretum Imperii, nequaquam Confessionem recusavimus, imò promisi-
mus, nos in singulis Articulis nostram sententiam etiam de omnibus dissen-
sionibus expressuros esse, ac fecerunt vobis potestatem Adfessores & omnes
Legati Principum, ut in ipso Colloquio in singulis articulis vestram senten-
tiam liberè diceretis. Scitis ipsi, mentem D. Philippi prorsus cum nostra
congruere, ac si voluissetis, potuissimus adversus Papistas esse conjuncti, &
potuisset ea nunc constitui consensio, quæ postea difficilis futura est. Sed
vos Protestationem seu Condemnationes vestras petentibus Pontificiis ede-
re voluistis, qua in re si nos conjunxissimus vobiscum, præter cætera in-
commoda, oportuisset nos etiam Gallum & Illyricum condemnare, quod
facere nec potuimus, nec volumus.

Non aliâ igitur de causâ à vobis dissentimus, quam quod putamus, vestram illam Protestationem, quam nunc initio Colloquii publicè coram grege Pontificio exhibere decrevistis, intempestivam esse, & periculosissimam futuram tum huic Colloquio, tum communi causæ. Ignoscite nobis, si durius vobis loqui videmur. In eâ re socii vestri esse non potuimus, præsertim cum Adsesores & omnes Legati Principum eam non probarent, ac dicerent, pugnare cum Decretis Imperii & cum mandatis, quæ à suis Principibus accepissent. Neque etiam debuimus adversariis nobis insidiantibus dare occasionem, non modo nos irridendi & calumniandi per totam Europam, sed etiam discedendi à Colloquio, quod fugere videntur, cum plausibili triumpho & cum tanto scandalo, tantoque dedecore Ecclesiarum nostrarum & omnium Ordinum, qui Confessionem Augustæ Imperatori CAROLO exhibitam profitentur. Hujus tanti periculi autores esse noluimus, & speramus, omnes pios, sapientes & bonos homines, re dextrè & rectè consideratâ consilium nostrum probaturos esse. Sustentamus nos conscientia testimonio, quod toto pectore, nihil aliud sine omni adfectu spectamus, quam salutem & pacem Ecclesiæ, & honorem tot Regum, Principum & tot honestissimorum hominum, omnium Ordinum, qui Evangelii doctrinam adversus gregem AntiChristi profitentur cum magno periculo.

Vestram conscientiam & mandata Illustrissimorum Vestrorum Principum, quos toto corde veneramus, minimè judicamus. Tantum ostendimus consensum doctrinæ & causas, cur nequeamus esse socii hujus sejunctionis. Cujus eventum, & dolores nostros unâ cum tota Ecclesia commendamus DEO. Quod autem dicetis, vos remotos esse, ea res nequaquam à nobis profecta est, ac dolemus tum id factum, tum heri tam acerbam incidisse deliberationem, quam dolor Legatis Principum expressit. Sed sperasemus, facile hoc ipsum potuisse sanari, si protestationem illam differre voluissetis. Quare vos reverenter oramus, per gloriam DEI & salutem Ecclesiæ, ne, si ullo modo licet, à nobis discedatis. Quod si non impetravimus, in tanto nostro dolore apud vos deponimus sententiæ nostræ testimonium, & valde rogamus, ut non solum nos agnoscatis amicos & fratres in Christo, sed etiam absentes consulatis in commune. Rogemus & faciamus ea conjunctis precibus & studiis, quæ miseræ Ecclesiæ, & Germaniæ, Patriæ communi, sunt salutaria. Hoc præstabimus vobiscum & fideliter & concordēs. In tantis dissidiis consolatur nos illud; quod ex DEO est, non dissolvetur, & precamur Filium DEI, qui dixit: ego sum vobiscum ad consummationem seculi, ut concordiam animorum & sententiarum inter nos confirmet, & misereatur clementer adflictiissimæ Ecclesiæ, in qua vos & nos gementes sumus Ministri ipsius, In Urbe Vangionum 24. Septembr. 1557.

Inscriptio:

Inscriptio:
 Reverendis & Clarissimis viris, Patribus & Fratribus nostris in Christo, D.
 Doctori Erhardo Steppio, D. Doctori Joachimo Morlino, Domino
 Erasmo Sarcerio, Domino Victorino, & Domino Stoffelio. Ministri Ec-
 clesie in Urbe Vangionum.

XLIX.

Sæpe de te, mi suaviss. Marpachi, cogito, sed non perinde tamen sæpe scribo; propterea quod crebrò te abesse domo intelligam, & rarius accipiam tuas. Dedit autem nunc occasionem Dominus, ut per hos optimos & clarissimos viros liceret ad te literas dare, qui te sive Argentorati, sive Vormaciæ, agas, convenire statuerunt, ut ejus & humanitatem & operam sunt experti, quam pridem per literas erga me liberaliter prædicarunt. Negocium, quod agunt, ex ipsis abunde intelliges. Furit Gallus contra Evangelii professionem, ut jam non cum hominibus solum bellum gerat, sed eum Christo; incitatus nimirum à Satanæ ministris, qui cladis, quam accipit, culpam omnem in nimiam ejus patientiam erga evangelicos conjiciunt, & clamant verè illud paganorum, de quibus Tertullianus: *Christiani ad Leones*. Spem tamen fovent nonnullam fratres afflicti, mitigari persecutionem posse, intercessione Principum & Civitatum maxime, quando pertendi illa citra inauditam hæctenus sanguinis effusionem nequit, idque ob incredibilem multitudinem Christum confitentium, ex primis etiam ordinibus. Si quid hanc causam juveris, quod tua te sponte facturum scio, non perdes operam coram Domino, qui suos nobis ut propria viscera complectendos commisit. Nos salvi sumus omnes, & præsentem sumus Colloquio spiritu, cum non liceat corporibus, quod tamen ego supra quam dici possit exoptaverim: Audimus callidè in eo moras nectere Papistas, ut tempus pertrahant, ac tædio fastidioque Nostros fatigent, qui rebus necessariis mallent cum fructu vacare. Sed confundet eos Dominus, qui opus ipsius agunt fraudulenter, & servabit Ecclesiam suam. De Argentinensis, hoc est, tuæ Ecclesiæ statu cupio certior fieri, de qua non desinimus sperare optima. Bene vale in Christo JESU, cum tuis omnibus. Basil. 26. Septembr. Ao. 1557.

Tuus ex animo

S. Sulzerus.

L.

S benedicat nobis ubertim Dominus JESUS, cujus beneficio succrescunt subinde egregia feliciaque, & ad discendum inflammata ingenia; nimirum